



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Disce orare, id te doceat Oratio exercendis divini amoris actibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

III. Ad Christum.

Iesu bone, ego nimis imperfectè tibi servo, nimis frigide te laudo & diligo. Ah, quàm longè adhuc absum à verà mei abnegatione; à verà Humilitate, Patientià, & Charitate! Te ergo rogo, ut quod minus est in me, tu digneris supplere pro me, & divinum cor tuum amoris plenissimum Patri offerre pro corde meo amoris egentissimo.

Domine Jesu Christe, amen te solum propter te, & nihilamem nisi in te.

Domine Jesu Christe auge mihi labores & dolorem, modò augeas patientiam & amorem.

Domine Jesu Christe da mihi ut in divino beneplacito tuo, in sanctissimâ tuâ voluntate unicè delecter, & in eâ super omnia requiescam.

H O R A V I I I.

Disce MORI : id te doceat imminentis metus iudicii.

Memento homo pulvis, conscientiamque tuam interroga: Si hac te horâ ad tribunal suum evocaret Deus, num paratus fores reddendæ rationi? dicelles: *Cras ero* & emendationi tuæ indulgentiam promissit Deus, sed tuæ dilationi diem crastinum non promissit. Nihilominus omnia in futurum disponimus, & inter precipitia lenti sumus. Heu, heu, nos miseros, quàm totus homuncio nil est! O theatrum & ludum quidquid in hoc orbe *VIVERE* vocatur: Age, valedic rebus humanis, & ad reddendam rationem te para; tribunal te vocat. Nullam hîc moram, nullas inducias, nullam comperendinationem quaere. Hinc abeundum est; ne tergiversare: ratio reddenda est, ne excusa. Qualis vixis, talis & iudicaberis. Memento mori.

Disce VIVERE : id te doceat lex Veritatis.

ANTE omnia opera verbum verax præcedat te. Veritatem enim requirit Dominus. Jurare & mentiri nesciat lingua tua. Veritati sic studeas, ut quidquid dixeris, juratum putes. Non est sinceri, non probi hominis, aliud pectore clausum, aliud lingua promptum habere. Veritas, sicut ubique mater est sanctitatis, sic ubique amanda est. Nullæ duæ res tam inter se concordantes sunt & cognatæ, ut *VIRTUS* & *VERITAS*. Premi quidem solet veritas, non opprimis; emergit tandem: impugnat sepe, non vincitur. Veritatis amator nullus reprehensor est metuendus, aut enim reprehensusus, inimicus est, aut amicus: inimicus si insultat, ferendus; amicus si errat, docendus; si ipse doceat, audiendus est. Tegere, polire, fingere, comere, fucare Veritatem, est degenere, ap. 1. honestare; mentiri, est animam necare. Os enim quod mentitur, occidit animam.

Disce ORARE : id te doceat Oratio exercendis divini amoris actibus.

XIII. Actus amoris in Deum.

Omi amantissime Deus, 1. Ad te summum bonum, toto cordis affectu feror. 2. In immensissimâ bonitate tuâ exulto, 3. & gaudeo, quod te omnes Angeli adorent, beati omnes honorent & laudent. 4. O mi creator, quàm ego cupio, ut omnes homines te agnoscant & colant; tibi uni omnes serviant! 5. Ah, quàm me poenitet omnium peccatorum meorum! 6. Et ideo firmissimè statuo legem tuam posthac in omnibus observare. 7. Omne solatium meum in sanctissimo tuo beneplacito quaeram; 8. Aversabor, quidquid tibi displicuerit. 9. Mi Deus, omnia mea tua sunt, tibi omnia consacro: 10. Propter te adversa omnia liben-

A tissimè tolerabo: 11. Permissione & dispositione tuâ semper contentissimus ero. 12. O Bonitas, tuum in me amorem adauge. 13. O Charitas, te nunquam amare desinam.

Explicatio præcedentis Orationis.

Cum virtutis laus omnis in actione consistat, amoris in Deum tendentis actiones interiores à Theologis plerumque hæc solent assignari.

1. Deum, tanquam *summum bonum*, videndum ac fruendum *pienissimo affectu desiderare*.
2. Sua Deo bona omnia velle, nec aliam ob causam, nisi quia bona Dei sunt, uti sunt sapientia, bonitas, potentia, &c.
3. Impensè gaudere, Deo ab Angelis, beatis, probis omnibus serviri.
4. Desiderare unicè, ut res create omnes, gloriæ, honorique divino sese impendant.
5. Animo dolere ob omnes in Deum injurias, & à se & ab aliis commissas.
6. Serio constituere, omnem Dei legem exactè observare.
7. Unicam in omnibus Dei voluntatem sibi sequendam proponere.
8. Averfari omnia, quæ quis Deo displicere cognovit.
9. Omnia sua Deo liberalissimâ submissione offerre.
10. In res adversas omnes Dei causâ tolerandas promptum animum obfirmare.
11. Divini regiminis providentiam ubique agnoscere, & extollere.
12. Fateri se divinis favoribus minis respondere, & amoris augmentum poscere.
13. Beatam in Dei amore perseverantiam assiduis precibus efflagitare.

Circa has divini Amoris actiones duæ maxime notanda.

Primum. Letales animi plagas non perferant, nisi *Duo* amor aut dolor, sive, ut Theologorum ore loquimur, duo tantum sunt actus, qui perditam Dei gratiam recuperent, actus charitatis, & actus poenitentiae, quorum alter alterum includit. Publicanus dolendo potissimum, Magdalena diligendo præcipuè omnem animi pestem detersit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. cap. 7. vers. 47.

Secundum. Primaria divini amoris actio est, serio & ex animo velle omnibus Dei præceptis parere. Qui *habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* 1. Ioan. c. 14. vers. 21. *Hec est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* 1. Ioan. c. 5. vers. 3. Ad hanc amoris divini actionem exercendam quivis hominum obstringitur in triplici fere periculo. Primum periculo cum quis graviter à dæmone impugnatur, aut aliis ad vitia illecebris invitatur, & hæc sunt exemplo: videt quis auream sine custode monetam; deprehensum habet sub unguibus inimicum; cernit oblatam explendæ libidinis occasionem; hic cacodæmon ingenti conatu suggerit: sic elabi fines pulcherrimam hanc occasionem? en nummos aureos, en opportunam ultionis horam, en paratas delicias; aude aliquid, fructu, & opportunitate, dum licet, utere. Hic necessarium omnino, ut, qui letale crimen horret, in Deum amorem sic testetur: Domine Deus, lex tua & tuus honor, chariora mihi sunt, quàm lucrum meum, quàm turpis & verita voluptas, quàm totus orbis. Nisi is, qui in hoc lubrico stat, sic egerit, Deum perdidit, gratia Dei excidit, celum amisit, aut ergo tunc Deum amabit, aut à diabolo vincetur. Quod si hominem clandestine mentis, aut furtive corporis libidini deditum interrogem: Mi homo, amasne Deum? amare se affirmabit. Sed an decalogum nosti? novi, dicit. Etiam præceptum sextum tenes? dicit, teneo.

neo. Nunquid eo libidinem omnem prohiberi censet? A
censet, respondebit, nec aliter poterit. Et tamen in
hanc expressissimam Dei legem, nihilominus tam petu-
lantly, toties peccare audet? ergo tua tibi muliercula,
tui tibi furtivi amores, tuæ tibi oblectatiuncule præ
Deo, præ Deilege, præ honore Dei, longè sunt chario-
res: ergo in te nec in illa vivit divini amoris, quamdiu
hos mores & impurum hunc amorem perseveras. *Hæc
est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Quid est,
inquit Augustinus, quod diligo Regem, si odio habeo
ejus legem? & verissimè Gregorius: *Vox, inquit, amat,
qui ad mandata ejus à suis se voluptatibus coarctat: qui per
illicita desideria diffultat, profecto Deum non diligit, quia ei sua
voluntate contradicit.*

1. Ican. c. 5
vers. 3.

Deinde, ad eandem divini amoris actionem quem-
que obligat alterum hoc periculum, cum quis pruden-
ter sibi metuit, ne ratione loci quod iturus, aut hominum
quibuscum accedens, gravius delinquat, tunc sane opus,
animum Dei amore sic inflammari et muniri, ut cum
Psaltes regio sincere pronunciet : *Scrutabor legem tuam*
Domine, & custodiam illam in toto corde meo. Hæc est enim
charitas Dei, ut mandata eius custodiamus.

Pfal. 118.
vers. 34.
1. Ioan. 2.
vers. 3.

Postremo denique corporis animique periculum, idem quod dixi, divini amoris argumentum postular: ut, cum quæ fatali sibi horam imminere sentit, hoc ipso in suum conditorem amore feratur, idque non præ næ formidine, non præmi spe, sed quod agnoscat, hoc à se **SYMMO BONO** modis omnibus deberi. Hac certe supremæ vitæ horâ, si unquam, illa, quam integerrime potest, observanda: **Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ. Charitas nunquam excidit.** Ergo, in charitate cœsumus in illo per omnia.

Luc. cap. I.
vers. 27.
1. Cor. c.
vers. 8.
Ephes. c.
vers. 15.

*Epheſ. c. 4.
verſ. 15.* *Proteſtatio ad Deum, ſaltem ſemel per hebdomadam dicenda.*

Siquidquam, ô mi Deus, cogitauero, dixero, fecero per imprudentiam, quod diuino beneplacito tuo repugnât: coram te, Domine, totaque curiâ tuâ cœlesti protestor, id præter & contra voluntatem meam fieri. Si aliter accidat, Misereere, Domine, & errantem illic revoca, cadentem subleua: & ne id contingat, per bonitatem tuam rogo te, misericordissime Deus, ut benedictione tuâ me præuenire, & tanquam rem tuam possidere ac regere digneris. Arbitrii mei libertatem tibi sic subijcio, ut illam à te, si opus, etiam cogi cupiam, & vinciri, ut contra te rebellet, aut contra voluntatem tuam vel minimum, quid committat. Unicè velim, mi Deus, quod tu vis; & quod tu non vis, id & ego unicè nolim. Hæc mea unica sit voluntas, voluntatis tuæ beneplacitum querere, ac facere in omnibus. Si quid, Domine à te petam, ne largiaris petenti quod honori tuo deroget, quod tuæ voluntati repugnet. Scio, ô bonitas, scio: id mihi solum obest, quod tibi non placet. Ergo te per omnes Sanctos Angelos tuos oro, da mihi odium mei, & tui in omnibus amorem.

Gemitus ad Deum anhelantes, amoris plenissimi.

AMo te mi Deus, cupióque ardentius amare. Hac amoris flammâ cor meum penitus liquefiat. Nihil extra te me beat. Et quando, mi Deus, & quando ad te hinc evolabo?

H O R A IX.

*Disce MORI : id te doceat maximus
debitorum numerus.*

MEMENTO homo spuma, immenso aere alieno te laborare. Cogita peccata tua omnia, & in unum

ca cumulum compone : tot lascivas cogitationes, tot Marure,
verba non otiosa tantum, sed contumeliosa, fræda, peniten-
tractatoria : tot facta improba nullo furo excusanda. In- dus, &
tructor hos tantis noxarum acervos, & fateri cogis : ignoscen-
Magnus debitor sum multorum millium talentorum, dum,
heu, si me sic obærat mors meo adversario tradat,
certum est, carcere non exibo, dum ad teruncium solve-
ro. Marure hæc cogita & aliis sæpe ignoscito, tibi nun-
quam. Quis cognoscunt, uti semper peccant, ita sem-
per plorant. Vis nunquam esse tristis ? bene vive : bea-
tus ille homo, qui semper & ubique sic vivit, ut unam-
quamque diem velut ultimam, & non reditauram con-
sumat. Memento mori.

Disce VIVERE: id te docent lex Castitatis.

Fluctus Spiritus est charitas, continentia, castitas: Omnis autem ponderatio non est digna continentis animi. Nemo jactet pudicem animum, si impudicum habeat oculum: nemo de casto corpore gloriatur, cujus casta non sit cogitatio. Optimus Job idco cum oculis faceret fœdus, ut posset etiam cum cogitationibus: Papię ait, sedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: quam enim pariem haberet in he Deus desuper & Oraculum accipe à beato Hieronymo editum: Quacuq; accipit, vir- tute polleas, quibuscunque operibus nitcas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trabis. Et crede mihi, mi homo, si te pestilens libidinis uredo adurat, nec resistas, perisisti. Corpus, animus, pecunia, fama, omnia tibi tua pericu- runt: vale dic celo, & morere. Ergo principiis obsta, & canit obtere huic colabro, ne cauda te venenct.

Disce ORARE: id te doceat Oratio
B. Francisci.

DEVS MEVS, ET OMNIA.

BEatum Franciscum accepimus noctes ipsas quatuor verbulorum horum commentatione & creberrima repetitione, non semel summâ cum animi sui voluprate transegisse. Igitur voce præeuntem sequere, & dic:

DEVS MEVS, ET OMNIA.

Millies hoc dicam, millies hoc cogitabo, millies hoc, & usque, & usque, & usque millies repetam. Neque enim vel dicere vel cogitare majus possum aut melius, quam hoc ipsum, **DEVS MEVS, ET OMNIA.** Alii alia querant, alia desiderent, unum ego Deum meum quero, Deum desidero: **O DEVS MEVS, ET OMNIA.** Opes alii & honores, voluptates aliis universas relinquo: Deum ego habeam, & omnia habeo. Totos alios ego mundos concedo: autecos & gemmeos montes non invidio; summas delicias permitto; mihi Deus meus est omnia. Nihil ista bonum; nihil ista pulchrum aut jucundum, quin summum illud & primum **D** bonum, & melius sit, & pulchrius sit ac jucundius. **DEVS MEVS, ET OMNIA!** quam me varia saepe accendunt desideria, quam diversis subinde aestu cupiditatum! ita ut cum lunatico illo adolescente, modò in ignem, modò in aquam rapiar. Sed quam illa tanta bona sunt, quae ego tam anxie appetto? num hoc vel illud genus edulium aut potioris? Deus meus, cibus meus, potus meus, & omnia. Num hoc vel illud genus relaxationis aut voluptionis? Deus meus, gaudium meum, voluptas mea, & omnia. Num hoc vel illud genus honoris aut dignitatis? Deus meus, honor meus, mea dignitas, & mea omnia. Quid est tandem quod appetere possim; & cujus loco, mihi non Deus sit, & sit omnia? mihi epulatio, mihi oblectatio, mihi quies, mihi thesaurus Deus est, mihi Deus omnia, & plus quam omnia. Nam etsi cibus, quibus inhio, vesci: potus, quem sitio, refici: voluptate, quam ardeo, frui: honores, quos ambio, assequi